inter Lutheranos & Reformatos ſanciendæ deſiderij; tum in deteſtatione pluſquam Vatiniani, quod inter illos, qui genuini Chriſti diſcipuli eſſe cupiunt, obtinere graviter conqueritur, pacis odij, & extremæ averſationis. Et cum alias ſolamen ſit miſeris, ſocios habuiſſe malorum, γνησίως Lutheranos (quo loco, laudati nonnulli, quoad non migrant mentem ſuam, habendi non ſunt) pari concordiæ talis Ariminenſis deſiderio teneri comminiſcitur; quorum tamem nullus alia conditione, quam ſi Reformati deformati eſſe deſinant, unquam ad illorum ſocietatem ſe applicare velle, ullibi profeſſus eſt.

§. 11. Ut verò iſti vel ficto & fraudulento, vel certè inconſiderato & impio abominandæ pacis deſiderio aliquem concili- et colorem, togaq́; pacis, ſeu pax togata, (quod prædicatum, ne ſagatam putes, infra addit) quam Quiritibus literarijs & Commilitonibus ſuis togatis ante expoſitum prodit, quam Irenonaum aperit, non humana & ex Calviniano cerebro, Diaboliq́;, omnium *Syncretiſtarum* Patris, ſinu profecta; ſed divina, qualem jactat, cœcutientibus appareat, purpuram Spiritus *S.* ſuo prætexit panno, & â Chriſto, togæ hujus divinę amplexum, ſi Eridinopoëtæ iſti credimus, omnibus præcipiente, ſuoq́; exemplo comprobante, lucem aliquam profano ſuo fœnerari contendit Irenonao. *Pacem*, inquit, *eſſe omnibus colendam Chriſtinâ fide imbutorum quenquam temere non præterit. In præſens ſatis eſt illius, quod apud diſcipulum ſuum dilectum illum, in ſinu atq́; pectore ſuo recumbentem, Chriſtus inculcat: Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuò. ſicut ego dilexi vos, ita diligatis vos mutuo. Dilectionis Chriſti adverſus nos finem eſſe dilectionem inter nos mutuam in dubium minimè vocandum. Hoc namq́; conteſtatur Chriſtus ipſe, Veritas ipſa: Sicut ego dilexi vos, ut diligatis vos mutuo.* Et paulo poſt: *Si igitur Chriſtus dilexit nos, noſtri cauſa è cœlo deſcendit, ſi humana carne ſe texit, ſi infirmitates noſtras mortemq́; ac pœnam in ſe contulit, diligimus nos mutuo. Si autem nos non diligimus mutuo, nec Chriſtus nos dilexit, eoq́; noſtri cauſa è cœlo non deſcendit, humana ſe carne non texit, infirmitates noſtras in ſe non contulit, noſtri loco culpam non præſtitit.*

§. 12